



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

LA VILLA D'ESTE DI TIVOLI
NELLA DESCRIZIONE DI ATHANASIUS KICHER
(1671)

[Athanasii Kircheri e societate Jesu Latium, id est nova et parallela Latii tum veteris tum novi descriptio qua quæcumque vel natura, vel veterum Romanorum ingenium admiranda effecit, geographico-historico-physico ratiocinio, juxta rerum gestarum, temporumque seriem exponitur et enucleatur, Amstelodami, apud Joannem Janssonium a Waesberge et Hæredes Elizei Weterstraet, 1671]

[p. 172]

CAPUT IX
VILLA HIPPOLYTI CARDINALIS D'ESTE, QUAE TYBURE HODIERNA DIE
SUPERSTES, SUMMA ADVENARUM ADMIRATIONE VISITUR.

Hippolytus Cardinalis d'Este, delicioso Urbis situ delectatus, Villam intra Urbis pomoeria extruxit, cuius si divitias, amoenitates, statuarum antiquarum multitudinem et varietatem, fontium incredibilem multitudinem, artis et naturae miracula, quae in ea reperiuntur, peritius consideres, certe omnium veterum Romanorum in villis extruendis industriam multis parasangis superasse videtur. Palatium montis supercilio insistens, tribus contignationibus exaltatur, in aulas et cubicula amplissima ita distributum, ut advenae tantam architectonicae artis industriam satis mirari non possint. Aula artificiosis fontibus, aliisque ludicris



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

spectantium animos insigni voluptate imbuit, picturis undique a nobilissimis sui temporis pictoribus conserta: totum palatum tanta Symbolicorum schematum varietate exornatur, ut Apelles cum Pallade concertare videatur. Quid [p. 173] dicam de statuarum, quarum quidem maximam partem ex Adrianae Villae ruinis extrahi jussit, antiquae nobilitatis praestantia? quarum quaedam in busta, nonnullae in mediocria deorum, dearum, heroumque simulacra, aliquae in Colosseae vastitatis molem assurgunt. Quid nobilius spectari potest Crypta illa Nymphaeum musivo opere superbissime elaborata, nec non fontibus, qui vel ipsum Parnassum exprimunt? Exedrae palatii, praeter fontes salientes, visum praestant in omnes Latii et Sabinae terminos, summam intuentium jucunditate extensos.

Ad hortum progrediamur, in quo primo a palatio plano, per varias lucorum vias, ad quinque planities descenditur; in quarum prima Cyathus immense magnitudinis occurrit, aquarum jocis exhibendis opportunus. In secunda Herculis statua, qua, artificiosius quicquam vix spectare licet, 14 palmorum altitudinis: hinc descensus sit ad principale Villae ambulacrum, quod initium sumit a Catadupa illa mirabili, quae Anienis portio per occultos montis maeandros, ingenti strepitu, aquarumque murmure per saxosas rupes, in concham 21 vastissimam evoluta, hinc in vastam piscinam qua platanis, qua simulacris undique et undique circundatam praecipitatur. Ex hoc intratur in ambulacrum paulo ante dictum ad 300 passus longum, 48 salientibus fontibus ordine dispositis instructum, in quorum abacis tota Ovidii Metamorphosis subtilissimo plasticae artis ingenio effigiata cernitur. In fine huius ambulacri alia mox scena panditur, et Roma vocatur, eo quod Romae antiquae celebriores fabricae, juxta requisitam loci conditionem extuctae videantur; ubi ex laeva integer erumpens rivus ex flumine derivatus, per sinuosas rupes arte factas in Catadupam desinit. Ludicra aquarum spectacula, quae hoc loco exhibentur, vix explicari possunt. Hinc sit



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

descensus in aliud planum, cuius muri tessellato opere elaborati, in medio Parnassum exhibent, cum arboribus, in quibus cuculus cuculat, luscinia modulatur, d[e]fensat anser, canaria volucres multiplici vocum mutatione cantillantes te sentire iurares. Velum locus dolosis aquarum ludicris non caret, intentos enim avium modulationi inopinus ex omnibus muris et pavimentis erumpens imber, ita perpluit, ut ex flumine extracti videantur. Aperitur hoc loco aliud ambulacrum arboribus utrimque consitum, in cuius medio pulcherrimae piscinae theatrum aperitur, in cuius medio exititium opus, in quatuor Draconum, in quatuor Mundi partes continuo aquarum diluvia evomentium formas elaboratum, in quorum dorso ingens canalis, qui iocum aquarum, quem Girandola vocant, exhibit, aquasque in tantam altitudinem iaculatur, ut praecelsam Cypressi figuram proxime aemuletur. Hinc vero per gradus conchis hydragogis instructos descenditur in Horti planitiem, ubi quatuor vivaria occurunt piscibus, cygnis, anatibus coeterisque aquatice stirpis volucribus conserta, quae peridromidum cancellati ordines circumdantes, mira spectantes voluptate afficiunt. Impletur hae piscinae, sive vivaria, ingenti aquarum copia, per Catadupam dilapsa; supra hanc Catadupam nobilissimum sese aperit theatrum, juxta omnes architectonicae artis regulas nitidissime extructum, nec non vasto aquarum receptaculo visendum; in cuius interiori recessu organum hydraulicum automatum dispositum, mira sonorum varietate auditorum aures demulcet. Nec hic locus insidiis caret, abditis enim aquarum canaliculis ita repletus est, ut harmonica organi suavitate abrepti derepente aquarum diluviis tantum non obruantur. Tempus me deficeret, si omnia hius horti memoranda, artis et naturae miracula fusius describere attentarem. Qui plura desiderat, ex rebus superficie tenus tantum enarratis, is librum adeat Antonii Regii, in quo minutissima etiam mini[p. 174]marum rerum descriptione, omnia et singula exhibuit; et ne lector curiosus huius Villae splendorem et



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

amoenitatem verbis tantum percipiat, hic eius ichnographiam, quae uti veterum villarum nulli cedi, ita quoque perfectum eius ectypon veluti ultimum huic de Villis Tyburtinis tractavi colophonem imponit.